

Heinrich Rahn Balthasar Klatte


Disputatio Inauguralis De Quaestionibus

Rostochii: Kilius, 1652

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn766617920>

Druck Freier  Zugang






Ja - 1143 1-58.
Z 16.7

Universitäts-
Bibliothek
Rostock

42.18



DISPUTATIO INAUGURALIS
DE
QUÆSTIONIBUS,

Quam

D. T. O. M. A.

AUTORITATE ET DECRETO MAGNIFICI
ac Amplissimi Ictorum Ordinis in florentissi-
ma ad Varnum Academia,

PRÆSIDE

VIRO AMPLISSIMO ET CON-
SULTISSIMO

DN. HENRICO RAHNEN,

J. U. D. Professore Ordinario, Faculta-
tis Juridicæ p. t. DECANO spectabili, &
Consistorii Ducalis Megapolitani
Assessore,

PROLICENTIA

Summos in utroq; jure honores & privi-
legia Doctoralia consequendi,

Publicè discutiendam proponit

BALTHASAR CLATTEN,

Cellis Lunæburg.

In Auditorio Magno, ad diem 8. Julij.

Anno M. DC. LII.

horis ante & pomeridianis.

ROSTOCHII,

Typis NICOLAI KILII, Acad. Typogr.

DISPUTATIO IN ACADEMIA
DE
QUESTIIONIBUS

Quaestio

D. T. O. M. A.

AUTORITATE ET DECRETO MAGNIFICI
ac Illustrissimi Rectorum Universitatis
in Rostocko

OMNINO NARRISSIMO ET
DOCTISSIMO
DN. HENRICO RAVENI


Universitäts
Bibliothek
Rostock

J. H. D. Profratris
in Rostocko

PROLOGIUM
Summos in Europa iure honores et
legis Doctoris conspectum

BALTHASAR GLATZER
Celle, Landeshauptmann

in Rostocko, die 2. Junij
Anno M. DC. LXXV.
Rostock
Typis NICOLAI KILII, Actus Typogr.



Quamvis Jehova in Decalogo, & passim cum Veteris tum Novi Testamenti libris, per benigna sua promissa homines ad rectè agendum vivendumq; invitet, à malo autem per severas comminationes deterreat; nihilominus tamen plurimi, nescio quàm diabolica cæcitate & dementia se scientes prudentes in gurgitem omnis generis flagitiorum præcipitant, libentiusq; in tenebris, quàm luce versantur. Nulla hoc indiget deductione, nulla probatione, cum proh dolor! indies ferme quam plurima & scandalosa sese præbeant exempla, quorum recordari animus pius merito obstupescit. Cum vero Deus obedientiam exigat, nec se, suaq; illudi patiatur præcepta, sed criminum osor sit & vindex; non solum ipse quandoq; immediatè temeratores celeriter & durissimè punivit, sed etiam Judices jussit, malos de medio auferre, quò omnis Jrael audiat & timeat, nec ulterius præmeditatè impingat, *Deut. c. 13. v. 5. & 11. & c. 21. v. 21.* Cujus jussui Magistratus, ut ejus minister merito obtemperet, & Vindicem iram ei, qui malum agit, se gerat necesse est, *Rom. 13. v. 4. l. 3. l. 13. ff. de Offic. Præs.*, nisi Deum in ipsum negligentem ad vindictam exurgere malit. Verùm quia non semper Judici de delictis constare potest, maximè cum ut plurimum occultè committantur, nec illis adhiberi spectatores soleant, ut testibus, aliisq; apertis documentis non semper manifestari facile ac detegi possint: Ideo sapiens Antiquitas, quò minus impunita manerent admitta *l. 51. ff. ad L. Aqu. l. 95. §. 1. ff. de solut. l. 70. §. 5. ff. de fidejuss.* rationem, ingenio plenam, & illuminandæ veritatis, criminisq; eruendi modum bono publico adinvenit tandem, **QUÆSTIONEM** scilicet, vulgò **TORTURAM** dictam. Qua de materia practicabili, (cui gravitate comparanda ferme nulla est, cum hic non de tritico aut oleo legato, sed de hominum fortunis, existimatione ac capite agatur, quibus rebus nihil in orbe terrarum est pretiosius) absq; longiori præloquio paucis, & pro laudabili statuto Facultatis hujus Juridicæ disferendi cum sit animus; non immeritò recolo verba *Joan Ludov. Viris in Introduct. ad veram sapient. num. 31. piè admonentis: Nihil exordire, non invocato prius Numine. Deus enim in cujus manu sunt progres-*

A
sus

fus & exitus, optatos eos tribuit iis actibus, quos ab ipso
auspicamur. Quapropter ad Immortalitatis respicio præsidium, &
summo Numine invocato, Deum Autorem & Disputationis hujus Præ-
fulam fieri opto cum *Justin. pr. de confirm. s. frum ad Senat. & omnes popul.*

THESIS I.

Quæstio in jure modo Controversiam, *l. 16. ff. de statu homin.*
l. 2. ff. de his que in test. l. 24. ff. de acqu. vel amitt. her. l. f. C. de
quæstion. modo Judicium publicum l. 2. §. 32. ff. de O. J. mo-
do Interrogationem per vim & tormenta denotat. l. 15. §. 41.
ff. de injur. l. 23. §. 4. ff. ad L. Aquil. t. 7. ff. & C. de quæstion.

II. In hac postrema significatione definitur: *Interrogatio de crimine*
commisso per corporis tormenta ad eruendam ipsius criminis veritatem, à Ju-
dice legitime instituta. d. l. 15. §. 41. ff. de injur. l. 1. pr. & §. 21. 22. l. 9. §. 1. ff.
l. 10. l. 12. C. h.

III. Unde patet, Quæstionem non ipsam torturam, sed ab illa di-
versam, & Torturam illius partem esse. Communi tamen loquendi usu,
Quæstio cum actu Torturæ confunditur. *dd. ll. Quo respectu german. di-*
citur die peinliche/ scharffe oder harte Frage. Const. Crim. Caroli. V. passim.

IV. Causa Quæstionis remota, est probationis defectus. Non enim
à tormentis est incipiendum, sed reservanda sunt illa in ultimum sub-
sidium, quando aliæ haberi nequeunt probationes. *l. 1. pr. l. 8. 9. 20. ff. l. 8.*
§. 1. l. 12. C. h. C. C. a. 8. 69.

V. Propinqua, sunt Indicia, præsumptiones, signa, suspiciones, con-
jecturæ: quæ, quamvis inter se differre dicantur, *Dd.*; in proposita tamen
materia sub vocula *Indiciorum* hæc omnia comprehenduntur. *C. C. a. 19.*
sine quibus legitime probatis nemo torturæ subjiciendus est, *C. C. a. 6. 7.*
8. 18. 20. 22. 23. l. 8. §. 1. C. h. cum sint qu. basis & fundamentum tormen-
torum, C. C. a. 57.

VI. Hinc si quis legitimis absq; indicis in cruciatum abreptus con-
fiteatur, confessio nullius est momenti. Imò etiam si tortus perseveret
in ea confessione, nihil hoc ipsi præjudicat. *C. C. a. 20.*

VII. Ante omnia verò de crimine commisso constare oportet, *l. 1.*
§. 24. ff. ad SC. Silan. l. 1. C. ubi cause fisc. l. 23. §. f. ff. ad L. Aquil. C. C. a. 6.
Non enim temerè veniendum est ad membrorum illam dissolutionem,
quæ gravior est, utriusq; manus abscissione. *N. 134. c. 13. cum experientia*
testetur, plurimos in ipsa tortura immodica mortem obiisse propter ex-
trema

28
tremas corporis angustias & cruciatum. *dd.* Nec quæstioni semper fides, nec tamen nunquam habenda. Etenim res est fragilis & periculosa, & quæ veritatem fallat. Nam pleriq; patientia, sive duritia tormentorum ita tormenta contemnunt, ut exprimi eis veritas nullo modo possit; alii tanta sunt impatientia, ut quævis mentiri, quàm pati tormenta velint *l. 1. pr. & §. 23. ff. h.*

II. X. Neq; ex qualibet causa, sed criminali saltem, eaq; atroci & capitali, quæstio decernenda est *l. 8. ff. h. C. O. a. 8. in pr.* *So die Mißthat er ner Todesstraff halben kundlich.* In cæteris E. puta civilibus & pecuniarijs, in quibus nihil aliud, quàm sola pecunia in condemnationem venit, corpori cruciatus inferendi non sunt *l. 9. §. 1. & 2. ff. h.* Esset enim veritate jam comperta condemnatio Rei multo levior, quàm ipsa veritatis inquisitio; cum solus corporis cruciatus, multo gravior sit, quàm quævis pecuniaria condemnatio. *arg. l. 10. §. f. ff. de pæn.*

IX. Indicia v. vel sunt certa & indubitata *l. 19. C. de R. V. vel verifimilia & probabilia, l. 8. §. 1. C. h.* Illa in tantum probant, ut sola ad condemnationem sufficiant. *d. l. 19. C. de R. V. l. ult. C. de probat. l. 34. C. ad L. J. de adultr.* Propter hæc Judex tuto exercere torturam potest. *d. l. 8. §. 1. C. h.*

X. Quorum posteriorum duo habentur genera: aut n. sunt omnibus criminibus communia; aut singulis peculiaria. *C. C. a. 25. & seqq. alim quot. a. 33. & seqq.*

XI. Communia sunt: Semiplena probatio, quæ fit per unum testem classicum, i. e. idoneum, & omni exceptione majorem, de delicto per visum jurato deponentem. *C. C. a. 23. 30. 66.*

XII. Jactatio Rei propria extrajudicialis, serio, non risu, joco, dicitive causa, nec ullo metu facta à persona, de ejusmodi crimine suspecta *C. C. a. 32.*

XIII. Minæ: si persona malæ vitæ, & solita minas exequi, maleficiumq; illud brevi subsecutum sit. *C. C. a. 25. §. Zum sijnfften. a. 32. & 44.* Alias enim multi verborum quidem jactatione & suis terriculamentis se efferentes, inveniuntur; qui tamen cum res aggredienda est, post principia Thrafonis partes sustinent. *arg. cap. 4. ext. de V. S.*

XIV. Fama: non sola, quia fallax, & dictum unius facile sequitur multitudo. *c. 12. extr. de purg. can.* sed accedentibus aliis adminiculis *l. 3. §. 2. ff. de testib.* Puta: si Reus sit homo levis, & improbis moribus, ut delictum commissum verisimiliter ab ipso perpetratum esse suspicari possit.

arg. l. 8. ff. de susp. tut. vel ejusmodi facinus ante commississe vel attentasse dictus sit; ex præteritis namq; solent æstimari præsentia. c. semel. s. de R. l. 6. c. 6. extr. de præsumpt.; aut propterea suspectus fuerit, fama; mala non ab inimicis nec levibus personis, sed providis, honestis, & minime suspectis originem trahat. C. C. a. 25. §. erstlich c. 24. extr. de accusat.

XV. Inventio rei in loco perpetrati delicti a suspecto amissa: nisi innocentia defensionem allegans Reus, se paulo ante amissionem rem possidere defuisse, alii donasse, vendidisse &c. liquido probare possit. C. C. a. 29.

XVI. Delatio Rei convicti: dummodo absq; suggestione fiat, & alia adminicula concurrant. C. C. a. 31. Sola enim nominatio ad torturam insufficientis. l. n. C. de testib. l. 4. C. h. nulliq; de se confesso adversus alium in eodem crimine est credendum. c. 10. c. 20. extr. de testib. & attest.

XVII. Adminicula autem ad prodicionem sociorum conducentia, sunt: 1. ne Reus specialiter interrogetur, an Lucius Titius; sed generaliter, quis homicidium fecerit. Alterum enim magis suggerentis, quam reuerentis videtur. l. 1. §. 21. ff. h. C. C. a. 31. §. erstlich

XIIX. 2. Ut denominator de omnibus circumstantiis, qualitatis, loci, temporis, deliberationis, conjurationis, societatis, opis, auxilij &c. interrogetur. d. C. C. a. 31. §. Zum andern.

XIX. 3. Accuratè inquiretur, an tortus cum indicato similtates aut inimicitias exerceat. Quibus deprehensis & probatis, indicantis fides in dubium vocatur, ejusq; assertioni fides non habenda, quia facile mentitur. l. 1. §. 24. ff. h. l. 3. ff. de testib. nisi justis & evidentibus rationibus dicta confirmare possit. d. C. C. a. 31. §. Zum dritten. Nov. 90. c. 7. Auth. si testis C. de testib.

XX. 4. Requiritur, ut denunciatus persona talis sit, in quam admitti criminis suspicio transferri possit. d. a. 31. §. Zum vierdten. Nam si de bona fama nominati constet, indicium ortum ex nominatione scelerosi, facile diluitur.

XXI. 5. Ut index sui socij non vacillet, sed constanter citra vim & tormenta interrogatus, in sua confessione perseveret. d. C. C. a. 31. §. Zum fünfften. Vacillans enim variusq; modo affirmans, modo negans, perjuro haud absimilis est; perjurum autem ad accusationem non admitti constat. ex c. 18. causa. 6. q. 1. c. 14. causa. 22. q. 5.

XXII. Inter communia indicia ulterius refertur Fuga, C. C. a. 25. §. Zum

dicium & alia accedant, quæ Judicem ad habendam de Reo quæstionem movere possunt. C. C. a. 27.

XXIIX. Receptio hominum criminoforum: ubi tamen scientiam & dolum *Dd.* requirunt, cum non nisi dolo crimen committatur. l. 7. ff. ad L. *Corn. de sic.* Imò receptio hominum delinquentium scienter facta, per se crimen est, pœnâ dignum. t. t. ff. de receptat. & t. t. C. de his qui latron. vel alijs crimin. reos occult. C. C. a. 40.

XXIX. Abductio suspecti, ne deprehendatur, quam *Dd.* associationem vocant: ut si quis furem aut raptorem bonorum, quò commodè aufugeret, adjuverit, puta, eqvum ad fugam dederit, aut ad asylum quoddam abduxerit. d. C. C. a. 40.

XXX. Assertio læsi, moribundi, aut jure jurando confirmantis: alijs tamen adminiculis non deficientibus. CC. a. 25. §. *Zum sechsten. ibi: aus eslichen Vhrsachen.* Ex quibus elucescit, solam offensi attestationem in mortis articulo factam non sufficere, sed præsumi perturbatæ mentis esse. l. 8. vers. at cum humana: C. qui testam. fac. nisi justæ allegentur causæ, aut judici de iis aliunde constare possit. C. C. a. 27. l. 3. §. 1. ff. ad Sct. *Silan.*

XXXI. Indicia de malo nomine l. 63. §. 10. ff. ad Sct. *Trebell.*; natione infamata l. 31. §. 21. ff. de edil. edict.; mala progenie, can. 10. dist. 56. sumpta, eum valde remota, & ad torturam deveniendam insufficientia sint, merito rejiciuntur.

XXXII. Et hæc de indicijs communibus dicta sufficiant, quorum quidem longè plura dantur, sed illa omnia enucleatim enarrare, immensi foret laboris; quin propter personarum rerumq; varietatem certis legibus comprehendi non potest, quæ indicia ad torturam sufficientia sint, vel non sint: quapropter prudentis Judicis arbitratui hæc merito erunt relinquenda C. C. a. 18. 24. 27. arg. l. 3. §. 2. de testib.

XXXIII. Singulis criminibus pecularia indicia sunt in Homicidio: Si suspectus tempore commissæ cædis, vestibus armisve cruentatis conspectus fuerit, vel occisi bona aut res vendiderit, donaverit, aliove quovis modo alienaverit, vel penes se retinuerit. C. C. a. 25. §. *Zum dritten. a. 33.* ejusq; gladius in loco cædis, aut in propinquo, sanguine madidus reperitur. C. C. a. 29. nisi Reus verisimilib. contrarijs indicijs ac coniecturis judici innocentiam suam ostendere possit; ut, si probet, se justo titulo eas res possidere, aut gladium in loco delicti repertum, alteri commodasse, vel sibi subtractū fuisse, de quibus ante quæstionem habendam cognoscetur. d. C. C. a. 23.

XXXIV.

28
XXXIV. Homicidio in concursu hominum commissio, præsumptio est contra autorem rixæ, qui ferrum è vagina eductum strinxit, punctum, casimve percussit, aliove modo ictus intulit. CC. a. 34.

XXXV. Sangvis vero ab occiso, suspecto accedente, profluens, indicium ad torturam nullum facit. *Id.* Quia signum hoc ex causis homini etiam sapientissimo incognitis & valde remotis provenit, nec naturalibus causis demonstrari potest, cum mortuorum cadavera exangvia sint, nullaq; vis corpori frigido insit, quæ egerere sanguinem possit. Tortura etiam res est gravissimi præjudicij, & periculo plenissimi l. 1 §. 23. ff. b. ad quam non aliter nisi ex causis, humano intellectui convenientibus, procedere Judicem, & contentum esse oportet, secundum prudentiam, quæ in hominem cadit, judicare, relinquendo cætera iudicio divino.

XXXVI In Infanticidio: si fœmina suspecta, antea utero majore solito, mox contractiore, ipsaq; debilior ac pallidior videatur, sitq; ejus sortis, ut suspitioni locum relinquat, quod moribus virgine vel fœmina honesta indignis, fronte procaci, & ore liberiore judicetur, modo & ab honestis matronis aut obstetricibus, corporis inspectione habita, attestatio jurato fiat, fœminam illam, non modo virginem non esse, sed etiam peperisse. C.C. a. 35.

XXXVII. Si lac in uberibus habeat. Id verò cum accidere, testantibus rerum naturalium indagatoribus, possit fœminis, quæ nec gravidæ nec enixæ sunt: ideoq; hic obstetricum callidarumve matronarum iudicio & experientia opus est. C.C. a. 36.

XXXVIII. Si imprægnationem velans fœmina, fœtum vivum, forma humani generis, distinctisq; membris præditum, clam remotis alijs mulieribus pepererit & absconderit, qui postea exanimis reperiatur: nisi se abortum aut fœtum edisse mortuum, legitime docere possit. CC. a. 37.

XXXIX. In Veneficio: si suspectus venenum emerit, præparaverit, emptum coram Judice negaverit, cum extincto inimicitias gesserit, ejusve morte hereditatis commodum, aliudve emolumentum expectarit, itemq; persona levis ac turpis sit vitæ: nisi probare possit, se eo veneno ad res, legibus non prohibitas, usum vel usurum fuisse. C.C. a. 37. l. 3. §. 1. ff. ad L. Corn. de sic.

XL. In rapina: Si rapta quis penes se habeat, vendat, aliove titulo alienet, ac in illis se suspectum reddat, & interrogatus, autorem suum, à quo accepit, indicare nolit. C.C. a. 38. Civile enim est, rei, quæ apud aliquem

quem esse aut fuisse probatur, adversario forsan exigente, exhibere venditorem: nam à transeunte & ignoto emisse dicere, non convenit volenti evitare alienam bono viro suspicionem *l. 5. C. de furt.*

XL. Si equites, peditesve in cauponis & diversorijs frequentius commorentur & comessentur, nec de stipendijs, negociationibus, aut annuis redditibus, unde sumptus sustineant, docere possint; eos malis artibus, præsertim ex raptò & latrocinio victitare, non levis est suspicio. *C. C. a. 39.*

XLII. Si quis scienter & dolosè latrones, aut è carceribus effugientes recipiat, aliat, de raptis participet, vi subtracta celet, aut alio suspecto modo opem eis præstet. *C. C. a. 40. l. 14. C. de furt. vide §. 28.*

XLIII. **In Incendio:** Si suspicione laborans, paulò ante incendium, abscondito & suspecto modo instrumentis igniferis, fomitibus, alijsve rebus, ignem facile concipientibus, usus fuerit: neq; verisimilibus & fide dignis rationibus licitum earum usum possit demonstrare. *C. C. a. 41.* Cui non absimilis videtur, qui verbis velliteris diffidatorijs durch **Absagungs Brieffe** minatus est. *Dd.*

XLIV. **In proditione:** Si quem clam insolito & periculoso more, iis, quibus cum de prodendo convenisse dicitur, ad fuisse constiterit, & tamen ab iisdem se alienum simulet: Sitq; talis ingenij, ut istiusmodi facinoris suspectus haberi possit. *C. C. a. 42.*

XLV. **In furto:** Si res furtim expilata, penes suspectum, vel tota vel pro parte extiterit, vel is ipse eam vendiderit, neq; autorem seu venditorem indicare velit. *C. C. a. 43. pr.*

XLVI. Si quis vitæ suspectæ in loco, ubi furtum effractione perpetratum, deprehensus fuerit cum instrumentis ad eam rem idoneis, vel aliàs ejusmodi instrumentis sit usus. *d. C. C. a. 43. §. 1.*

XLVII. Si post furtum rei magnæ & pretiosæ, qui antea tenuis erat vitæ, & famæ turpis, locuples inveniatur, majores solito, ac super patrimonij facultatem impensas faciat, nec subitæ opulentæ causas legitime edat. *d. C. C. a. 43. §. 2. arg. l. 51. ff. de don. inter vir. & ux.*

XLIIIX. **In Magia:** Si quis magicam docere artem se offerat, *C. C. a. 44.* aut didicisse gloriatur. Culpa enim similis est, tam prohibita discere, quam docere. *l. 8. C. de malef. & mathem.* si alterum fascinare minetur, minæq; cum eventu conjunctæ sint: si cum Magis conversetur, & familiaritatem colat: si suspectis utatur verbis, rebus, gestibus, incantationem inferen-

48

Inferentibus: si labore suspicione & mala fama, à fide dignis orta
d. C. C. a. 44.

XLIX. Sola verò Lamiarum confessio de aliis sociis, licet quædam argumenta addant, quod conventiculis, symposiis, choreis cum Dæmonibus &c. interfuerint, non præbet verisimile indicium ad capiendum & torquendum notatos, nisi & aliæ legitimæ, jureq; approbatæ afferantur probationes. Argumenta enim illa nulla veritate nituntur, sed sunt Diaboli præstigia, oculorum illusiones & phantasmata. *c. 12. causa 26. q. 5. c. 7. causa 26. q. 2.* Et sagæ, quo se à torturæ cruciatibus eximant, vel planè liberent crimine, quidvis comminisci, & honestissimas mulieres quandoq; deferre falso solent. Quare etiam jure civili regulariter prohibitum est, confessum de sese, torquere in aliorum caput, ne alienam salutem in dubium deducat, qui de sua desperavit, *l. 16. §. 1. ff. h. l. ult. circa fin. C. de accus. & inscript. cap. 1. extr. de confess.*

L. Purgatio itidem vulgaris per aquam frigidam (*Wasser Urtheil/ oder Wasser Probe*) cum contra leges tam divinas quàm humanas ex mera superstitione sit introducta, inter peregrina merito, & ad innocentiam testandam insufficientia indicia ponitur. *cap. 8. extr. de purg. can. cap. 3. extr. de purg. vulg. c. 20. causa. 2. q. 4.*

LI. In moneta adulterina: si instrumenta ad cudendam monetam apta; aut nummi noviter impressi, nec dum levigati, & antitypo suo respondentes, in non exigua quantitate inveniuntur apud aliquem, qui ejus conditionis sit, ut de hoc crimine maximè suspectus habeatur. *arg. C. C. a. 43. §. 1.*

LII. In adulterio quoq; indicia plerumq; difficillimæ sunt probationis, cum crimen hoc inter illa, quæ clam, abditè, & occultè fiunt, referatur. *l. 8. §. 6. C. de repud.* Quorum varietatem recensere superfedeo. Tantum E. de indicatiis, plerisq; delictis peculiaribus, pro ratione ordinis, quem *Imperator Carolus V. in C. C. habuit, dixisse satis sit.*

LIII. Personæ in quas malæ suspiciones & verisimilia indicia cadunt, torqueri possunt omnes, quæ non specialiter vel ob defectum judicii, vel corporis debilitatem, vel etiam dignitatem reperiuntur exemptæ. *arg. l. 1. §. 3. & seqq. l. 8. l. 10. l. 15. ff. h.* Videamus itaq; de his, quæ eximuntur. Nam si cognoverimus, quæ istæ personæ sunt, simul intelligemus cæteras, quæ quæstionibus subdi possunt, *arg. pr. J. de his qui sunt sui, & pr. J. de tutel.*

B

LIV. Quæ-

LIV. Quæstio igitur ob iudicii defectum habenda non est, de mi-
nore 14. annis, l. 10. pr. l. 15. §. 1. ff. h. c. r. & 2. extr. de delict. pueror. qui
tamen terreri solet, & habena vel ferula cædi. l. 1. §. 33. ff. ad SCR. Sil.

L V. Furioso: l. 3. §. n. ff. de SCR. Sil. licet furor delicto superve-
niat: continua enim mentis alienatione omni intellectu caret, satisq;
furore ipso punitur, nec potest percipere finem quæstionis. l. 14. ff. de
Off. præf. Ideoq; & mortuo comparatur, l. 14. ff. locat. l. 24. §. 1. ff. rem-
rat. hab. & per omnia ac in omnibus absentis & quiescentis loco habe-
tur, l. 2. §. 3. ff. de jure codicill.

LVI. Surdo & muto naturâ, arg. l. 10. C. qui testam. fac. quia
regulariter nulla ab ipso exprimi confessio potest. Si vero per accidens
surdus & mutus factus, aut infortunium discretum sit, literasq; sciat, eo
casu, quin haberi possit quæstio, nullus dubito. arg. d. l. 10. C. qui te-
stam. fac.

LVII. Sene decrepito, ætate defecto: ob corporis debi-
litem, l. 3. §. 7. ff. de SCR. Sil. Qui autem dicantur ætate defecti, iudicis
arbitrio relinquitur, qui qualitatem personæ spectabit. Multi enim ci-
tius propter infirmitatem corporis senescunt; & licet robustiores vi-
deantur, minus tamen tormenta sufferre possunt, quam sexagenarii, vel
grandioris ætatis homines. Ad exemplum vero impuberis terreri senem
posse, nihil prohibet. Dd.

LVIII. Infirmo & valetudinario, l. 3. pr. ff. de SCR. Sil. fita-
lis est morbus, ut torturam pati nequeat, sine vitæ seu corporis pericu-
lo: cum jura tale moderamen exigant, ut tortus salvus conservetur, vel
innocentiæ, vel supplicio, l. 7. ff. h. C. C. a. 59.

LIX. Prægnante, l. 3. ff. de pæn. tum, ne foetui, tum, ne ipsius præ-
gnantis vitæ noceatur, l. 18. ff. de statu hom. nec refert licet ex coitu legi-
bus damnato conceperit: quia non debet calamitas matris nocere ei,
qui in ventre est, pr. J. de ingen. nihilq; interest, vicinane partui, an non,
sive in ipsa custodia, ipsoq; carcere gravida reddita sit. Dd.

LX. Et hoc in tantum procedit, ut ne quæstio quidem de
puerpera intra quadraginta dies post partum, haberi debeat, secundum
gl. in d. l. 3. ff. de pæn. Nam, quanquam in l. 14. §. 2. ff. de edil. ed. di-
catur sana, corpus tamen ejus in aliquam imbecillitatem per tormenta
conjiceretur.

LXI. Quis

48

LXI. Quin imò ne terretur quidem realiter (quod fit quando Reus ad locum torturæ per carnificem ducitur, exuitur, ligatur, eiq; eculeus seu fidiculæ ostenduntur) prægnans potest. Facile enim accidere posset ut propter pavorem ex territione ista conceptum, abortum faceret, velex metu graviori aliud periculum partui crearetur. *Dd.*

LXII. Submoveretur ob dignitatem severa indagatio per tormenta quærendi à Clarissimo *l. 10. C. de dignit. Eminentissimis*, nec non Perfectissimis, eorumq; liberis usq; ad pronepotes: Decurionibus, etsi munera Decurionatus deposuerint, *l. 11. l. 16. l. 17. in f. C. h. Nobilibus d. l. 11. C. h. l. 4. C. ad L. Jul. Maj.*

LXIII. Militibus, eorumq; filiis: non solum quamdiu militant, sed & cum honestè à militia dimissi sunt, *l. 8. C. h. l. 4. C. ad L. Jul. Maj. l. 3. §. 1. ff. de re milit.* Inter quos non recensentur Errones & palantes ociosi, qui in pagis hinc inde vagantur, & rusticorum oves, anseres, gallinas & alias res furantur; qui ita militant, sicut in sylvis catuli: Hi enim pœnam potius, quàm privilegium merentur, neq; tolerandi sunt. *Sandfrieben Anno 1548. Rubr. Von den Herrlosen Knechten. Recept. Imp. Aug. de Anno 1551. §. nachdem auch hin vnd wieder. Recept. Imp. Aug. Anno 1555. §. vnd damit angeregte vergadderung.*

LXIV. Doctoribus: quia dignitate fulgent. *cap. quantò. extr. de magistr.* omnis vero dignitas à tortura excusationem meretur, *l. 4. C. ad L. Jul. Maj.* item quia Nobiles, *l. 2. §. f. Nobilissimi l. 4. §. 1. ff. de excus. tut. l. 7. C. de postul. Illustres. §. 4. proèm. J. de confirm. Inst.* dicuntur; Militibus comparantur. *l. 14. C. de Advoc. div. jud. cum Equitibus conjunguntur. Recept. Imp. Aug. de Anno 1550. sub Rubr. von überflüssigkeit der Kleider. §. item Bürger in Städten/die nicht vom Adel/Ritter oder Doctor/cum 2. seqq.* Et passim in Imperii Receptibus quoad dignitatem nunquam Nobilibus postponuntur. *Reform. polit. de Anno 1530. sub Rubr. vom Adel. & sub Rubr. von Doctorn/ & Reform. polit. de Anno 1548. sub iisdem rubr.* Et in Camera Imperiali, Doctores & Nobiles iisdem fruuntur stipendiis. *Ord. Cam. part. 1. tit. 43.*

LXV. Quanquam regulariter earum pœnarum, quas fidiculæ & tormenta constituunt, exortes sunt prædicti Doctores, Milites, Nobiles, Decuriones, Perfectissimi, Eminentissimi, Clarissimi, & vel generis aut dignitatis defensione uti non prohibentur: dantur tamen aliquot crimina, in quibus à tortura non excusantur, qualia sunt, *Læsæ Majestatis. l. 3. & 4. C. ad L. Jul. Maj. l. 10. §. 1. ff. l. 16. C. h. A. B. tit. 24. §. ob in War*

heirjemands. Hæreseos. l. 4. §. 4. C. de hæret. & man. Proditionis & Transfugii. l. 3. §. 10. l. 7. ff. de re milit. Falsi l. 21. C. ad L. Corn. de fals. Maleficii & Magiæ l. 7. C. de malef. & mathem.

LXVI. Forma Quæstionis varia est. Ad eam referri potest: ne à quæstionibus incipiatur, l. 1. pr. l. 20. ff. l. 8. §. 1. C. h. sed si persona talis sit, quæ possit torturæ subijci, indicia etiam talia, quæ ad quæstionem sufficiunt, C. C. a. 20. & seqq. nec ea ab inculpato per contrarias præsumptiones, C. C. a. 28. defensiones aut exceptiones, C. C. a. 29. & 37. sint diluta & refutata, sed adhuc illum gravent, sententiæq; interlocutoria, de imponenda Reo tortura, lata sit l. 2. ff. de appell. recip.; Judex accusatori petenti, diem quæstionis instituendæ denominare debet, C. C. a. 45.

LXVII. Accusatus in præsentia Judicis, duorumq; ad minimum Adfessorum & Actuarii, de Spontanea confessione, & cruciatibus tormentorum evitandis, serio admonendus est, C. C. a. 46. a. 184. Ubi sanè Judex attentius Rei affectus & animi compulsiones observabit: nam plurimum in excutienda veritate vox ipsa, & cognitionis subtilis diligentia adfert. Et ex sermone, & ex eo, quæ quis constantia, qua trepedatione quid diceret, vel cujus existimationis quisq; in sua civitate est, quædam ad illuminandam veritatem in lucem emergunt, l. 10. §. 5. ff. h.

LXVIII. Si perstiterit in sua pertinacia, interrogandus est, qua ratione innocentiam suam asserere & probare velit ac possit, C. C. a. 47. l. 19. ff. de pæn.

LXIX. Reus sufficienti & plenissima probatione de crimine convictus, confiteri verò obstinatè recusans, admoneri debet, se pro convicto haberi, legitimèq; probationem factam esse, ut vel hac ratione ad confitendum impellatur. Quod si sic quoq; fateri nolit, nihilo secius sine tormentis, satis superq; convictus, condemnabitur, C. C. a. 22. & 69. l. 16. C. de pæn.

LXX. Cum verò sententia interlocutoria de quæstione executioni danda est, Judex ipsæ torturæ adesse, nec, Reo in tortura posito, ad cibum capiendum, vel aliud quid efficiendum, abire, & furori carnificis torquendum permittere debet; alioqui non pœnâ solum extraordinariâ multari dignus, verum etiam ipsius Dei iratas manus non effugiet. Damnatio enim absq; misericordia erit ei, qui non præstiterit misericordiam. Jacobi. c. 2. v. 13.

LXXI. Judice igitur cum duobus ad minimum Adfessoribus & Actua-

Actuario presentibus, C. C. a. 47. §. so in der iektermelbren. inquisitus de ipso delicto, & necessariis circumstantiis articulare & absq; suggestione interrogandus est, l. 1. §. 21. ff. h. C. C. a. 31. §. zum ersten / vide hes. 17. & seqq. quod exemplis aliquot Imp. declarat, C. C. 49. usq; ad 56.

LXXII. Super criminibus diversi generis, de quibus non extant verisimilia indicia, & quæ nullam connexitatem seu dependentiam habent, Reus interrogari non debet. Ex diversis enim & separatis non infertur de uno ad aliud; siquidem unum cum alio nihil habet commune, l. 20. pr. vers. quid enim. ff. de minor. l. 21. §. 1. ff. de acquir. vel amitt. poss.

LXXIII. Si plures sint ejusdem criminis conscii & complices; à suspectissimo incipiendum, & à quo facillimè posse verum scire, Judex crediderit, l. 1. §. 2. ff. h. Si æquè suspecti; ab illo initium faciendum, qui timidior est, vel teneræ ætatis videtur, l. 18. pr. ff. h. si disparis sexus; à fœmina, tanquam debiliori persona i. Petr. 3. v. 7. & cruciatui ferundo maxime impari arg. d. l. 18.; si pater & filius; ab hoc inchoandum, arg. §. 7. 7. de nox. act. l. 8. §. 3. ff. quod met. caus.

LXXIV. Quæstionis modum quod attinet, magis est, Judices arbitrari oportere: itaq; quæstionem habere oportet, ut servus salvus sit, vel innocentia, vel supplicio, l. 7. ff. h. Tormenta q; adhibenda sunt, non quanta accusator postulat, sed ut moderatæ rationis temperamenta desiderant, l. 10. §. 3. ff. h. neq; ad pœnam, sed veritatem eruendam inventa sunt l. 21. ff. h. Ideo q; secundum indiciorum & suspicionum, tum personæ etiam conditionem plus aut minus, frequenter aut raro, durius aut levius adhiberi C. C. a. 58. & si Reus lethaliter vulneratus esset, ita quæstio temperari debet, ne interval post tormenta ob vulnera expiret, C. C. a. 59.

LXXV. Tempus quoq; torturæ spectandum est. Non enim convenit quæstionem habere die feriato l. 8. C. de fer. nisi in criminibus atrocioribus, ut de latronibus &c. cum facillimè & in hoc summi numinis speretur venia, per quod multorum salus & incolumitas procuratur. l. 10. C. d. t. Neq; statim à sumpto cibo instituat quæstio, ne stomachus damnus aliquod patiat. Ideo nocturnum vel matutinum tempus commodissimum Dd. judicant.

LXXVI. Varia autem tormentorum, pro cujusq; loci moribus excogitata, apud Dd. reperiuntur genera. Et meminerunt jura nostra, usitati illius tormenti Fidicularum l. 16. C. h. l. 4. C. ad L. Jul. Maj. Eculei & Ungularum sulcantium latera l. 7. C. de malef. &



math. l. un. C. de emend. serv. l. i. C. de numerar. Plumbatarum ictuum
l. 40. C. de Decurion. l. 2. C. de exact. tribut. Malæ mansionis l. 7. pr.
ff. de pos. l. 15. §. 41. ff. de injur.

LXXVII Admonendus Judex est, ne quovis horribili, insolito & inconsueto tormentorum genere utatur, *arg. l. un. C. de emend. serv. l. 2. C. de exact. tribut.* sed quod usitatum est, & minus periculi habet, veritas tamen per illud extorqueri posse, videtur. Nam qui contra facit, carnifici potius, quam Judici comparandus. Meminerit E. se Christianum, & propterea moderatum & misericordem esse, ac severitatem legum cum aliquo temperamento benignitatis subsequi debere, in tormentis inferendis, *l. ii. pr. ff. de pæn.*

LXXIIX. Sunt, qui nulla ratione ad veritatis confessionem adigi possunt; quorum duo habentur genera. Quidam enim patientia sive duritia tormentorum, ita tormenta contemnunt, ut exprimi eis veritas nullo modo possit, *l. i. §. 23. ff. h.* Quidam magica arte contumacissime tormenta perferre, vel etiam ridere, imo inter ipsa tormenta dormire solent, *Dd.*

LXXIX. Ad quas posteriorum taciturnitates removendas, per sacerdotes admonendi sunt, ut fœderi diabolico renuncient, veritatem ulterius non celent, sed Deo dent gloriam. Alia etiam adhiberi solent media ad molliendam ejusmodi duritiam. De quibus *Dd.* Qui autem superstitiosorum quorundam verborum recitatione incantationem, abigere, aut intra Missarum solemnia Reos interrogare conantur, superstitiosè & contra jus divinum agunt. Non enim sunt facienda mala, ut inde proveniant bona, *Rom. 3. v. 8. c. 10. c. 11. §. 32. q. 4.*

LXXX. Si E. Reus delictum fuerit confessus, ante omnia indagatio circumstantiarum à Reo manifestatarum est instituenda, nec prius confessionibus fidendum, quam de singulis, aut certè majoris momenti circumstantiis per inquisitionem Judex fuerit certioratus, *C. C. a. 54. 60.*

LXXXI. Quæ si deprehendantur falsæ, seriò objurgandus est eo nomine Reus, nec non quæstio iteranda, ut citra omnem fucum veritas facti & circumstantiarum appareat, *C. C. a. 55.*

LXXXII. Accidit quandoq; ut Reus in tortura factam confessionem expresse revocet, quo casu, si adversus Reum, qui torture subjectus est, indicia probata militent, sine aliis novis indiciis quæstio revocari potest, *l. 16. l. 18. §. 1. ff. h. C. C. a. 58.* tum ob priorem confessionem, ex qua resultat semiplena probatio; tum ob variationem, quæ per

48
per se indicium est, *l. 10. §. 5. ff. h. nisi* Reus revocationis suae causas in
medium proferat, quibus moveri possit Judex ad credendum, illam
confessionem ex errore factam fuisse, *C. C. a. 57.*

LXXXIII. Sed si Reus in tortura secunda crimen fateatur, & se-
cundo revocet, ad tertiam quaestionem deveniri potest: perpensis ta-
men prius, & bene consideratis praecedentium indiciorum qualitati-
bus, *C. C. a. 58.*

LXXXIV. Post tertiam vero revocationem, non esse ulterius
locum quaestioni, communis ferme est *Dd.* sententia, satius hic esse,
ducentium, impunitum relinqui facinus nocentis, quam innocentem
damnare, *l. 5. ff. de pen.* Quod si tamen nova contra Reum, & quidem
urgentiora inveniuntur & probentur indicia, licite in quaestionem re-
peti inculpatus potest, *l. 18. §. 1. ff. h. C. C. d. a. 58.*

LXXXV. Actuarii officium, hic annotandum, est, bona fide,
& diligentia versari, omnia eo ordine, quo singula fiunt, & Reus cri-
men enarrat, eodem verborum contextu; non autem ea, quae in me-
diis cruciatibus Reus profert, sed quae modo remissus & relaxatus enun-
ciat, plene integre, distinctim ac singulatim perscribere & consignare,
C. C. a. 5. a. 58. in fin. a. 181. usq. ad 190. Neque enim verisimile est, in ipsis
torturae angustiis constitutum, ut ut maxime velit, veritatem posse
eloqui, aut perpetrata cum circumstantiis recte in memoria revocare, *Dd.*

LXXXVI. Effectus quaestionis consistit in Rei constanter negan-
tis absolutione; confitentis & convicti condemnatione *C. C. a. 60.*; &
Judicis, recte circa quaestionem procedentis, impunitate, vel illegitime
torturam decernentis, poena. *C. C. a. 61.*

LXXXVII. Si in tormentis negando persistere accusatus, suspi-
cio & indicia purgata censentur, ideoque Reus carcere liberari, & praes-
tita prius Urpheda, sive cautione de non ulciscendo, definitive absolvi
debet, *arg. l. f. ff. de calumn. C. C. a. 61. a. 176.*

LXXXVIII. Confitens delictum, illud ratificare debet extra tor-
menta apud acta, altero tertiove die post habitam quaestionem, & do-
lore cessante; alioquin confessioni standam non erit, *l. 2. C. de cust. reor.*
C. C. a. 56. §. der Gefangne sol auch zum wenigsten.

LXXXIX. Quando igitur in confessione perseverat Reus, Judex eum
pro conditione criminis in poenam lege definitam vel consuetudine re-
ceptam, condemnare. *C. C. a. 60. 90. 104. l. 11. pr. ff. & l. 16. C. de pen.*; sen-
tentiam in scriptis redactam, utraq; parte praesente, per Actuarium jura-
faturum

ratum prælegi curare, l. 2. C. de sentent. ex peric. recit. C. C. a. 94. baculum, quem more quorundam locorum in manu gestat, infringere; damnatum carnificis potestati juxta tenorem definitivæ tractandum tradere, C. C. a. 96. eoq; ad supplicii locum pertracto, ne quis justitiæ ministrum impediatur, nec illi casu forsan minus feliciter munus suum perficienti, vim inferat, palam sub pœna capitali prohibere debet. C. C. a. 97.

XC. Reo per sententiam condemnato duo juris remedia supersunt: alterum Nullitatis; alterum Appellationis. Licentia appellationis non solum damnato ex confessione, tormentis expressa, l. 2. C. quor. appell. non recip. vel ab eo qui jus damnandi non habuit, l. 2. §. 2. ff. de pœn. verum alii quoq; nomine ejus, non denegatur, quamvis damnatus resistat, perire festinans, l. 6. ff. de appell. Ex recepta vero Imperii Romani lege & consuetudine appellandi potestas in criminalibus non admittitur, Recept. Imp. Aug. de Anno 1530. §. Item als seht etliche zeit hero. & Ord. Cam. part. 2. tit. 28. §. Item nachdem auch.


XCI. Nullitatis remedium competit Reo, si eum Judex illegitimè & absq; causæ cognitione ad quæstionem abripuerit, C. C. a. 20. l. 1. §. 17. ff. b. Cognitione enim causæ ommissa, quæstio, & ex ea postmodum secuta condemnatio, nulla est, & contra naturalem rationem & æquitatem lata, l. 4. C. de appell. l. 1. C. de execut. rei judic. l. 8. in f. l. 13. C. de sentent. & interlocur. præalleg. Ord. Cam. p. 2. tit. 28. §. Item nachdem.

XCII. In Judicem, sine præcedentibus legitimis indiciis Reum, quæstioni subjicientem, injuriarum l. 15. §. 34. & 42. l. 32. ff. de injur. utilisq; L. Aquiliæ actio datur, l. 13. pr. ff. ad L. Aqu. teneturq; infonti in omne damnatum, injuriam, ignominiam, cruciatus, sumptus; nec prodest ipsi juramentum de non vindicando carcere à Reo exactum, sed ab eo apud superiorem conveniri, pro ratione excessus puniri, C. C. a. 20. 21. 61. in f. non obstante juratoria cautione (geschworne Brühede) illius, contra quem injustè processum est, d. a. 20. in fin. junct. Ord. Cam. part. 2. tit. 24. §. quin etiam, si Judex dolo malo, ut quia pecuniam accepit, vel licet non accepit, calore tamen inductus, sine legitimis indiciis Reum quæstioni subjiciat, tortusq; exinde moriatur, capite plecti potest, l. 7. §. 3. ff. de L. Jul. repet. l. 16. C. b.

Et tantum de hac Quæstionum materia dictum sit; quæ facili quidem negotio ampliari potuisset, nisi Juridicæ hujus Facultatis statuto (ut in præem. dictum) obtemperare, calamumq; sistere coactus essem. Sit

E. summo illi Numini, à quo auspiciatus sum, semper
LAUS, HONOS ET GLORIA.





quando quis obscuro loco natus, fraudu-
 tatione, nobili alicui familiae se infere-
 sub titulo cognationis ab aliis, vel ejus-
 familiae, nobilibus pecuniam, vel aliud
 dicet, vel alio modo eosdem fallat.
 1615. vagabundus quidam homo co-
 uelem Phocam, Palatinum Constanti-
 cupans, & ex familia illustri Graecorum
 jactans, adjumeto intercessionu, quas
 te impetraverat, in plurimorum prin-
 s, & civitatibus ingentem pecuniae
 & emendicavit; cui postea, ob delicti
 poenam dictaverunt Scabini Lipsien-
 no 1629. Mens. Martio foeminae cui-
 , ex nobili familia se natam & bonis
 mutato nomine a Nobilibus pecuni-
 poenam temporalis relegationis in-
 runt. *Carpzov. prax. criminal. part. 2.*
 am sequenti *num. 41.* adducit exem-
 assumpto nomine Advocati cujus-
 ejus publice jactaverat, quem postea
 iudiae Senatus virgis coedi, & exilio
 tinent & huc exempla relata a *Valers*

XVI.

us est, quando quis, personam suam pla-
 nem suam mutat, & se pro alio suppo-
 ma apud Historicos aliosq; scripto-
 inter quae notissimum est illud Plau-
 pta forma Amphitruonis, adversus
 nocte quadam, velut e bello rever-
 concubuit. Plura vide apud *Johannem*

B 3

Cor. 4

